



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

XI. De Coniugio Sacerdotum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

siasticam poenam seu excommunicationem, cum poenis ciuilibus.

### *X. De Initiatione, Ordine, & Vocatione.*

**S**I Episcopi suo officio rectè fungerentur, & cura Ecclesie & Euangelij gererent, posset illis nominis caritatis & tranquillitatis, non ex necessitate, permitti, vt nos & nostros concionatores ordinarent, confirmarent, hac tamen conditione, vt seponerent omnes laruz, præstigiæ, deliramenta, & spectra pompæ ethnicæ. Quia verò nec sunt, nec esse volunt veri Episcopi, sed politici dynastæ & Principes, qui nec concionantur & docent, nec baptizant, nec cœnam admittunt, nec vllum opus & officium Ecclesie præstant, sed eos, qui vocati munus illud subeunt, persequuntur & condemnant, profectò, ipsorum culpâ, Ecclesia non deferenda, nec ministris spolianda est.

Quapropter, sicut vetera exempla Ecclesie & Petrum nos docent, idoneos ad hoc officium ipsi ordinare debemus & volumus. Et hoc nobis prohibere non possunt, etiam secundum sua ira, quæ affirmant etiam ab hæreticis Ordinatos, verè esse ordinatos, illam ordinationem non debere mutari. Et Hieronymus scribit de Ecclesia Alexandrina, eam primùm Episcopis, presbyteris, & ministris communi operam gubernatam fuisse.

### *XI. De Coniugio Sacerdotum.*

**Q**uòd coniugium prohibuerunt, & diuinum oneratum sacerdotum perpetuo cœlibatu oneratum, malitiosè sine omni honesta causa fecerunt, & eo Antichristi, tyrannorum, & pessimorū nebulosum.



opus exercuerunt, ac causam præbuerunt multis horrendis, abominandis, innumeris peccatis tetrarum libidinum, in quibus adhuc volutantur. Sicut autem nec nobis, nec ipsis datum est, ut ex masculino sceminam aut ex scemella marem condamus, aut vtrunq; annihilemus: ita etiam ipsis non est datum, ut creaturas Dei disjungant, separent, vetent, ne in coniugio honestè vni cohabitent & viuant. Quare ipsorum spurco celibatui assentiri nolumus, nec etiam illum feremus, sed coniugium liberum habere volumus, sicut Deus illud ipse ordinauit & instituit, cuius opus nec rescindere, nec destruere, nec impedire volumus. Paulus enim dicit, prohibitionem coniugij esse doctrinam dæmoniorum, 1. Tim. 4.

## XII. De Ecclesia.

**N**equaquam largimur ipsis, quòd sint Ecclesia, quia reuera non sunt Ecclesia. Non etiam audiemus ea, quæ nomine Ecclesiæ vel mandant, vel vetant. Nam (Deo sit gratia) puer septem annorum nouit hodie, Quid sit Ecclesia, nempe, credentes, sancti, ouiculæ audientes vocem pastoris sui. Sic enim orant pueri: Credo sanctam Ecclesiam Catholicam siue Christianam. Hæc sanctitas non consistit in amiculo linteo, insigni verticali, veste talari, & alijs ipsorum ceremonijs contra sacram scripturam excogitatis, sed in verbo Dei, & vera fide.

## XIII. Quomodo coram Deo homo iustificetur. Et, De bonis operibus.

**Q**uod de iustificatione hætenus semper & assiduè docui, mutare nec in minimo possum, videli-

cet,